HAIMO ALTISSIODORENSIS
3. Viertel 12. Jh. Seite 8r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



dilexit nos. & tradidit semetipsum pro nobis. & cetera. Dilex
it autem nos pulcher fedos. pius impios. sine peccato
peccatores. nec quales eramus nos dilexit. sed quales ipsa
dilectione nos fecit. Unde & subditur. Et lauit nos
a peccatis nris in sanguine suo. Iste est amor ineffabi
lis & incomprehensibilis. quia cum pro iusto uix aliquis
moriatur. xpc secundum tempus mortuus est pro impiis. ut
nos offerret deo. iustus utique pro iniustis. Et cum essemus
maculati delictis lauit nos suo sanguine. ut exhi
beret sibi ecclam. non habentem maculam aut rugam. uel
aliquid huiusmodi. Qui etiam sanguinem suae passionis.
uertit nobis in mysterium ablutionis. ut in fide mortis
eius baptizati. ab omnibus mundemur peccatis. Hinc apls
dicit. Quicumque baptizati sumus in xpo. in morte ip
sius baptizati sumus. Est autem & secundum baptismum
effusio lacrimarum. quo momentis singulis baptizan
tur publicani & peccatores. Quo uidelicet Maria
post multas criminum maculas. & Petrus ablutus est.
post trinam dni negationem. Et fecit nos regnum &
sacerdotes. deo & patri suo. Per hanc sententiam omnes
electi. sacerdotes demonstrantur. qui supra reges fue
rant appellati. Quia enim caput fidelium rex est & sacer
dos. congruenter & membra capitis. reges & sacerdo
tes uocantur. Quibus per Petrum dicitur. Vos estis genus
electum. regale sacerdotium. Ipsi enim sunt reges. ipsi &
sacerdotes. & sacrificium. & altare. quia & tumultus
carnalium uoluptatum contra se insurgentes. ut reges
refrenant. & sacrificium laudis & mortificationis deo
immolant. corpusque suum a presentis seculi cupiditatibus